

## Coniectanea.

Petronii Satirae (edid. Buecheler iterum) p. 71 v. 35. *Deinde si gratiam a legato moliebantur, quid ita omnia fecisti, ut quos tuebaris, absconderes.* Buechelerus adnotat: 'Puto gratiam te legato'. Adsentiar, si mihi scribere licuerit: *si gratiam te ADlegato moliebantur.* Adlegare notissimo usu dicitur de iis, qui amici causa alterum amicum adeunt, ut aliquid ab illo impetrent, iramve illius deprecentur. In Verr. Act. II lib. I p. 149 *Petit a me Rabonius, et amicos allegat, facile impetrat.* Idem coniecerat Gronovius Cic. ad Fam. XV 15 p. 2 *te, ut opinor, ipso allegato et deprecatore,* quo Wesenbergius veterem reduxit lectionem: *legato.*

Minucii Felicis Octavius c. VI (recensuit Cornelissen, Lugd. Bat. 1882). *Cum igitur aut fortuna caeca aut incerta natura sit, quanto venerabilius ac melius ancipites veritatis maiorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, deos, quos a parentibus ante inbutus es timere quam nosse familiarius, adorare, nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere* eqs. Vix pueri dici possunt imbui a parentibus accuratiore notitia deorum. Argumenti quidem vis augebitur, si pro *familiarius* scripseris: *familiares*; deos, quos a tam tenera pueritia colere didicisti, ut ante eos sis veneratus, quam propinquos, amicos et famulos paternos cognoveris.

ib. c. XXVIII i. f. *ista enim eorum forsitan sacra sint — qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhaerescunt, homines malae linguae, etiamsi tacerent, quos prius laedescit impudicitiae suae quam pudescit. pro nefas, id in se mali facinoris admittunt, quod nec aetas potest pati mollior, nec cogi servitus durior.* Quum tota sententia praesenti tempore sit enuntiata, pro

*tacerent* legendum videtur: *tacent*. Deinde amores virorum inter se non fere exercentur, nisi inter maiorem natu et alterum tenerioris aetatis; postremo ne duriolem quidem servitutem servientes cogi potuisse, ut domino morem gererent, audacius dictum, quam quod rhetori quidem ignoscatur, etiamsi non omnes servi cum Trimalchione Petroniano senserint, qui (c. 75) ita ipse de se narrat: *'ad delicias ipsimi annos quattuordecim fui. nec turpe est, quod dominus iubet'*. Hoc igitur lege: *quod nec aetas potest pati NISI mollior, nec cogi servitus NISI durior*.

Haarlemi (in Hollandia).

J. van der Vliet.

---